

*Appendix ad Europa Nro. 3.*

## Regnum Mortuorum.

Sermo politicus inter mortuos.

25. Decembris 1807.

— — — — Parcae!

Vos estis illae Stygis Deae inexorabiles;  
Quibus crediti sunt dies, eheu admodum breves  
Fragilis humanitatis.

Umbræ Colloquentes.

Parcae: *Clotho, Lachesis, Atropos.*

*Astropos.* — Acui forfices meas; Inde a bello, quo in pugnis ad Jenam, ad Eylaviam etc. tot crassa et subtilia vitae stamina absciderunt, redditae sunt obtusae.

*Lachesis.* — Assequor sensum tuum soror! vis nempe crassum filum Anni 1807. uno ictu feliciter abscindere.

*Clotho.* — Quid agis *Lachesis*, tu retorques stamen vitae Dynastiae Portugallicae.

*Lachesis.* — Duco fila fatorum hominis, et mutationes in rotulis regnorum.

*Clotho.* — Infelix annus 1807. fila tua intextentur in historiam aeternitatis.

*Astropos.* — Cur annum hunc infelicem nominas? Annon, terminato bello, pacem revexit?

*Lachesis.* — Ita est; Pacem continentalem; Ast bellum in mari? Et, indulge mihi, ubi sum sequelae pacis continentalis? Anne Annum 1808. supervixerunt. An omnes evolutae, et notae sunt? An eas in forficibus tuis vides, quas acuisti! Fila Neptuni anglicani sunt funes fortes, an eos forficibus tuis abscindere poteris?

*Astropos.* — Noli dubitare; Martem auxilio advocabo; jam nunc non audet Neptunus ad Deos Continentis accedere. Tu *Clotho*, et tu *Lachesis*! parate vos, Anno 1808. habebitis multum ad nendum.

*Clotho.* — Dum ita ad colum meam sedeo, diversae caput meum permeant cogitationes. Vita humana est filum admodum periculosum, quod minime impetu rumpi-

tur. Experientia docet, vitam hominis tenui pendere filo; Catharus, indigestio, indignatio, vehementia affectus, et frustillum plumbi potest illud abrumpere, et en jacent tibi Heros, et Pusitanimis, Princeps, et Lasarus, Dives et pauper! Nos nemo quidem fortunam, divitias, honores, sed etiam infortunium, paupertatem, contemptum, persecutionem. Quae longitudo staminis vitae? Quis nosse potest? Tu, chara soror Atropos, stas prope cum forficibus tuis, et vix quis circumspicere potest, et en jam abscissum est filum. Tristis consideratio pro quolibet in fine hujus anni. An filum uno adhuc durabit anno? hoc incertum est pro Principe, sicut pro Mendico. Homines saltitant instar pupparum (Marionettarum) in filo vitae, et quivis propriam ludit personam. Filum rumpitur, et en jacet Marionette, infoditurque luto. Quam brevis magnificentia!

*Astropos.* Soror Clotho! Quomodo mihi adpares! Non decent unam Parcarum similes considerationes, nos oportet esse inexorabiles.

*Lachesis.* — Non ita, chara soror! Considerationes de vita humana sunt nobis licitae. Tu quidem filum gloriae, et magnitudinis saepius abscidisti; adhuc nuper admodum probasti artem tuam in potenti uno regno, pluribusque minoribus civitatibus.

*Clotho.* Quid prodest, dilecta soror, haec moralisatio. Mundus manet semper idem, et novus hic annus futurus est idem, qui fuit prior.

#### *Biographia.*

Parcae vocantur Clotho, Lachesis, et Atropos, sunt inexorabiles, ex nocte progenitae. Hae creaturae muliebres, quae a nativitate hominis de vita ejus disponunt, ducunt fila vitae, et rumpunt, dum eis placet. Clotho servat colulum; Lachesis ducit filum, quod Atropos forficibus abscindit. Continuo; sunt in laboribus, percurunt mente vitam hominis a cunis ad tumulum. Exhibentur quidem facie severa, non tamen horribili; Rector earum est Jupiter. Imagines earum sunt raras. Juxta ideas Poetarum comes earum est tristitia, quae forma sicca, macra, et exesa cum tumidis cruribus circa illas latitat.

Mors apud Latinos et Gallos est foemini generis, apud Germanos autem Masculini. Dum Gallus mortem personificat, est faemina, apud Germanos vir. Jam vero multo gloriosius est manu viri, quam foeminae occumbere. Interim saepius foeminae sunt causa mortis virorum (scilicet — *incognito.*)

*Diarium Politicum.*

Gravis et summi momenti quaestio potest nunc in Politica formari. Quis, an Continens, aut Mare diutius sustinebit? Europa reliqua, aut Anglia. — Hoc ego nescio. Per mare accepimus fabas arabicas, sacharum, medicamenta, lignum coloratum, psittacos, et simias; ex sistemate itaque exclusionis loco *Caffée* debemus, vel radices Cichoreae; loco sachari mel aut alios succos dulces; loco Jalappae cremorem tartari; loco chinae glandines, loco Indigo, et Cochenille colores florum, aut metallorum; loco Psittacorum passerres; et loco simiarum feles adhibere. Necessitas nos docebit carere productis aliarum mundi partium, et sic redibimus ad illum statum, in quo ante 4—5 saecula fueramus. Sumemus pro jentaculo jusculum crevisiae, et loco cōsopiaceae, aut indicae materiae tunicas ex lana gestare (egregia vestis contra podogram) et tunc iterum erimus antiqui honesti, et ingenui Germani. Profecto agitur serio de eo, ut nos his carere discamus. Quaetores clamabunt quidem, et lamentabuntur; at gaudebunt Agricolae. Sed, oro, an aliter fieri potest, si legamus articulum sequentem Londino?

Heri pertigit horsum declaratio Russiae adversus Angliam, quae, licet non inexpectata, magnam tamen videtur fecisse impressionem. Declaratio haec, notant Ephemerides, annunciat implicate bellum aeternum inter has duas potentias, impossibile enim est, ut Anglia principia illa unquam adoptet, a quibus Imperator Alexander se nunquam recessurum declarat. Nunquam coalescet pax talis, qualem Russia vult, donec Anglia unicum navim, et unicum classiarium militem habet. Quaestio nunc est, an nos pro retinendo maris dominatu, hac scilicet gloriae, independentiae, ac ipsius existentiae nostrae basi bellum continuare, aut huic dominatu renuncians, pacem inire debeamus? In tali positione, ubi Anglia sola contra reliquum mundum stat, cuperemus unicum vocem, unicum sensum internum audire, unicumque spectaculum, utpote armatum Patriotismum, spiritumque nationalem videre. Verum et inter nos abicit studia in contraria vulgus; dantur factiones, quae miserias, et interitum praesagiunt, quae Europae persuadere vellent, nos in puncto desperationis consitui; talis est secta veteris Ministerii, ast successores hujus scient vincere adversitates momenti. Mox ab adventu hujus russicae declarationis dati sunt ordines, ut russicae naves occupentur, quod etiam eadem adhuc nocte in duabus navibus, quae ad portum *Spithead* steterant, in executionem sumptum est.

*Hollandia.*

*Ultrajecto 22. Decembris.* In Ministerio magna facta est mutatio: Marschallus, et Minister marinalis *Verhuel*

mittitur L<sup>é</sup>gatus Petropolim. Minister bellicus Generalis *Hoofendorpp* in eadem qualitate Viennam, Baro *Dedem* ad Regem Vestphaliae Casselliam, et supremas Stabuli Praefectus, seu Agasonum Regalium Magister *Caulaincort* Neapolim. D. *Hein* hactenus Minister Coloniarum et commercii nominatus Minister marimalis. D. *Gambier* hactenus Minister Justitiae nominatus Minister Coloniarum et commercii; D. *Janssens* Minister belli; D. denique *Jacobson* Praeses tertiae sectionis Consilii Status.

#### *He-truria.*

*Florentiae 12. Decembris.* Necdum Regina He-truriae cum Principe filio, et aliis ad comitivam Reginae pertinentibus, praemissa ad populos He-truriae Proclamatione, quam nuper tulit Europa, ex hac Metropoli discessit, nempe 7. Decembris Generalis Gallicus, et Imperatoris Adjutantius *Reille*, velut ad praecipandum e manibus ejusdem Regnum missus Commissarius, qui Consilio Regio scopum missionis exponens, ab eodem fidei, subjectionisque sacramentum excepit; quibus factis 10. ejusdem mensis hora 4. pomeridiana Regina cum Infante, Principissa *Forono*, et D. *Nuti* Educatore Principis semet itineri acciuxit. Curum Reginae praecedebant complures curus quadriga praeiuncti, in quorum uno praeter alios Primores et Aulicos, qui partim cum Regina discesserant, partim eam duntaxat ad certam distantiam comitabantur, ipsemet etiam Generalis *Reille* fuerat. Comitabantur praeterea Augustos peregrinantes militia praetoriana Equestris Regia: Duae centuriae Equitatus gallici, et una centuria Dimachorum toscanorum. Eodem die advenerunt Pisa 400 equites, et 1200 pedites gallici cum aliquot tormentis, urbemque Florentiam obsederunt. Liburni quoque jam 8. exponebantur insignia, et vexilla gallica, urbsque, et portus milite obsessa. — Rumore incerto fertur, inter Portam Otomannicam et Angliam agi de pace, et foedere, quo Anglia vovet, se littora Ottomanniae contra hostilem invasionem tuituram; Porta vero eidem commercium levantinum admittit.

#### *Rapsodias.*

Quidam Anglus calculavit, quod unum jugerum agri, si solanis tuberosis inseratur, pro 1895 personis alimentum unius diei producat, triticum autem ex eodem agro nonnisi 3764 personis sufficiat; ergo in solanis tuberosis idem ager quinque plus infert, quam in tritico. Fesum, quod M. Besieres 30. Nov. Praetorianorum nomine urbi Parisiensi dederat, et cui ipsa Imperatrix, interfuera, erat magnificum. Praetoriani jaculabantur ignem artificiosum, qui in aere in amaenissimas constellationes diversi coloris resolvebatur, formavitque spectaculum superbum.